

bus, qui fortuito evenire possunt, atque collisionem officiorum parere, semper et ubique tanquam lapides Lydii ante oculos sunt ponendae. In genere itaque dispiciendum est, num aut fuga aut mortis supplicium aut abnegatio fidei, casu dato, urgeatur. Haecce, dum ratio determinans omnium actionum humanarum illustratio nominis diuini esse debeat, §. VIII. si etiam omnes inexpectatae procellae in nos desaeuissent, haecce inquam abnegatio fidei et Dei, quae externa declaratione absoluitur, qua eum non agnoscimus pro Deo, quem tamen pro eodem veneramus, locum nullo modo habere potest. Illud vero non eligendum, si fugae libertas concedatur. Maius enim bonum praefendum est minori, §. XV, ne periculi temerarii in corpus argui possimus, §. IX. Si et alia loca, quae maiorem libertatem prae se ferunt, asylum quoddam nobis polliceantur, aliique, qui forsitan nostram fugam tanquam criterium secessus a Deo aspicere possent, de re-cta agendi, ob casum collisionis, ratione, certiores sint facti, ne in officia erga alios impingeremus, §. XI. tranquillitatemque publicam, ob nostram immorationem turbatam, fuga sedare possemus, atque magis magisque promovere: tunc ut in fugam nos demus, necesse est. In specie vero, si de fuga sacerdotis sermo est, insequentibus cogitationes sunt figendae, scilicet, si coetus sacer ob nostram commorationem, a Patrono ecclesiae, sacerdoti praecipue infenso, aliique etiam religioni addicto, aliquid molestiarum vel detrimenti capiat, aliisque etiam nostrae civitatis sacrae fociis, candoreque ad eandem nitidis, munere ecclesiastico eodem fungendi venia concedatur: tunc fuga erit arripienda. Imperfectio etiam deinde in parte, quoad Sacerdotem est admittenda, ut maior totius

D

eueni-